



**Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. V. Rejicitur etiam quarta sententia, & ultima præfertur, & explicatur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

cendens in ordine in creato, & commune ipsi naturali, relationibus, & attributis.

**13.** Confirmatur & declaratur vis hujus rationis, hoc exemplo. Sicut homo dupliciter considerari potest, primò quatenus est ens creatum, & sub hac ratione constituitur per rationem entis ab alio, & participati, secundò formaliter quatenus est homo, & quædam species animalis, & sub hac ratione non constituitur per rationem entis ab alio, & participati, quæ transcendentaliter includitur in omni ente creato, sed per rationalitatem, per quam distinguitur ab aliis animalibus, & quæ est radix intelligibilitatis, virtutis admirativæ, & aliarum proprietatum humanæ naturæ. Ita similiter substantia seu natura divina, duobus modis considerari potest: primò quatenus est ens in creatum, à creaturis distinctum, & sub hac ratione concedimus illam constitui per rationem entis à se, & per essentiam: secundò formaliter, quatenus est natura, & radix divinorum attributorum, & sic dicimus illam non constitui per rationem entis à se & per essentiam, cùm talis ratio sit transcendentis, & communis essentiæ, relationibus, & attributis.

**14.** Tertiò probatur conclusio: quando Adversarii dicunt quod esse à se est constitutivum naturæ divinae; vel per ly esse à se, intelligunt non esse ab alio tanquam à causa, vel tanquam à principio: Neutrū dici potest: Ergo esse à se divinam natūram non constituit. Minor probatur quantum ad prīmā partem: quia non esse ab alio tanquam à causa, convenient non solum naturæ divinae, sed etiam attributis, & personis, & omni quod divinum est, cùm in Deo nihil possit esse cauatum; ac proinde non esse ab alio in hoc sensu, non potest esse constitutivum naturæ divinae, nec distinctivum illius à relationibus & attributis. Probatur etiam quantum ad secundam partem: quia si non esse ab alio tanquam à principio, esset ratio constitutiva naturæ divinae, illa non conveniret Filio, nec Spiritui Sancto: cùm Filius habeat esse à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio, tanquam à principio, & docetur in Tractatu de Trinitate.

**15.** Denique conclusio suaderi potest hoc discursu: natura divina formaliter constituitur per gradum intellectivum: Ergo non potest formaliter constitui, per rationem entis à se, & per essentiam. Consequentia patet, Antecedens probatur. Natura divina constituitur per gradum perfectissimum, ex tribus qui admittuntur naturarum constitutivi: scilicet esse, vivere, & intelligere: Sed gradus intellectivus est omnium perfectissimus, cùm per illum constituantur perfectiores creaturæ universi, natura scilicet Angelica, & Humana: Ergo per talem gradum natura divina constituitur.

Confirmatur: homo dicitur ad imaginem Dei factus, ex eo quod participat intellectualitatem divinam, & Vero dicitur simile in natura Patri, ejusque Filius, quia procedit per ipsum intellectus: Ergo natura divina constituitur per gradum intellectivum. An vero constituitur per intellectualitatem radicalem, vel per ipsum intellectus intelligere actuali, §. sequenti dicemus.

§. V,

Rejicitur etiam quarta sententia, & ultime preferatur, & explicatur.

**D**ico quartò, naturam divinam non consti- 16  
tui per intellectualitatem radicalem, aut per proximam vim intelligendi, sed per ipsum intelligere actualē.

Probatur ratione fundamentali: natura divina, cùm sit actus purus, & omnis potentialitatis expers, constitui debet modo purissimo & actualissimo, ac remoto ab omni potentialitate & defectu: Ergo debet constitui per ipsum intelligere actualissimum, non vero per intellectualitatem radicalem, aut per vim proximam intelligendi. Consequentia patet, nam vis intellectiva, vel radix intelligendi, est quasi potentialis ad intelligentendum, & concipiatur per modum actus primi, non vero per modum ultimæ actualitatis, sicut ipsum intelligere.

Confirmatur & declaratur vis hujus rationis, 17 & simul principiū Adversariorum fundamentum convellit. In Deo non potest concepi cum fundamento in re intellectualitas per modum principii radicalis, vel per modum potentiae, & actus primi, in ordine ad intelligere per modum actus secundi: Ergo natura divina non potest constitui per vim intelligendi, sive radicalem, sive proximam. Consequentia patet, Antecedens probatur. Non potest constitui conceptus aliquis in Deo, cùm fundamento in re, quantumcumq; praecisus, nisi in ea præcione ingreditur ratio actus puri, & excludatur omnis umbra potentialitatis, & actus primi: Sed in conceptu intellectualitatis radicalis, aut vis proxima intelligendi, non ingreditur ratio actus puri, neque excluditur omnis umbra potentialitatis: Ergo talis conceptus non potest in Deo admitti. Minor probatur: actus purus formalissime est actus summus, & ultra quem non est alia actualitas imaginabilis in illo genere & linea in qua est actus purus: Sed in intellectualitas radicalis, aut vis proxima intelligendi, non sunt actus summi & ultimi ordinis intellectualis, sed ulterius in linea intelligendi est ipsum intelligere, quod est actus ultimus & perfectissimus: Ergo in conceptu intellectualitatis radicalis, aut virtute proxima intelligendi, non ingreditur formalissime actus puri, neque ab eo excluditur omnis potentialitas.

Confirmatur amplius: si in linea intelligendi 18 dividamus virtualiter duos conceptus, unum qui antecedat intelligere, ut est actus secundus, & qui constituit naturam divinam; alterum qui sit ipsum intelligere, & qui se habeat per modum operationis, à talia natura intellectuali procedentis: de illo primo sic præciso & distincto, inquirito an intelligatur ut actus purus in genere intelligendi, vel non: Si secundum, nondum intelligitur ut constituit naturam divinam, in cuius conceptu debet ingredi formaliter ratio actus purissimi. Si primum: Ergo jam ibi relucet ipsum intelligere in actus secundo, & sic impossibile est cum fundamento in re concipere in Deo vim radicalem vel proximam intelligendi, quæ sit prior intellectione, & quæ antecedenter se habeat ad ipsum intelligere; ac proinde primus conceptus divinitatis, & ratio constitutiva naturæ in Deo, hoc ipso quod incipit à ratione actus puri, incipere deberet ab ipso intelligere actuali, ut magis consta-

constabit ex dicendi art. 3. ubi ostendemus, non esse admittendam in Deo potentiam in telle<sup>cti</sup>van, virtualiter ab intellectione essentiali di-  
stinctam.

<sup>19</sup> Dico quinto: intelligere divinum, sub con-  
ceptu formalitate operationis, divinam na-  
turam non constituit:

Probatur primo conclusio ex D. Thoma  
quest. 1. de potentia art. 1. ad 1. ubi sic ait: *Eft*  
autem derivatione operationis habere principium, non  
de ratione essentia; unde licet essentia divina non  
habeat aliquid principium, neque re, neque ratione, ta-  
men operatio divina habet aliquid principium secun-  
dum rationem. Quibus verbis inveniat rationem  
fundamentalem nostrae conclusionis, que sic  
potest proponi. Id in quo consistit rei cuius-  
cumque essentia, nihil omnino presupponit in  
illa: Sed intelligere divinum, sub conceptu,  
sive formalitate operationis, presupponit ali-  
quid prius in Deo, secundum nostrum modum  
concipiendi: Ergo sub hacten & formalita-  
tate, non constituit naturam divinam. Major  
constat, essentia enim seu natura, <sup>est</sup> id quod  
primo concipiatur in re. Minor vero probatur:  
cum enim intellectio, ut habet rationem ope-  
rationis, sit vel concipiatur, ut emanatio quæ-  
dam à principio intelligenti, secundum mo-  
dum nostrum concipiendi, presupponit princi-  
pium vitae & intelligentiæ quo egreditur: un-  
de sicut in conceptu relationis includitur ratio  
ad, seu habitudo ad terminum, ita & in ratione  
actionis, ut talis est, includitur ratio ab, &  
ordo ad principium à quo procedit.

<sup>20</sup> Confirmatur: sicut enim licet existentia &  
essentia identificantur in Deo sine distinctione  
virtuali, existens tamen prout eminenter for-  
maliter habet rationem termini naturæ divinæ,  
eam non constituit, sed supponit, secundum no-  
strum modum concipiendi: ita similiter, quam-  
vis intelligere divinum sit Dei essentia, & natu-  
ra, ejusque operatio, intellectus, species &c.  
quia tamen sub ratione operationis, concipiatur  
ut egrediens à principio intelligenti, secundum D  
modum nostrum concipiendi illud presupponit,  
ac proinde ut sic non constituit formaliter  
naturam divinam: sicut etiam eam non consti-  
tuit, ut habet rationem intellectus, & specie*i*  
intelligibilis.

Probatur secundum: beatitudo Dei consistit  
in intelligere, ut dicit operationem: sicut docet  
D. Thomas infra quest. 26. art. 2. At Dei beatitudo,  
non est nostro modo intelligendi Dei es-  
sentialia, sed ejus attributum: quare idem S. Do-  
ctor ibidem ad 1. ait, *Beatitudinem non convenire*  
*Deo secundum rationem essentia, sed magis secundum*  
*rationem intellectus*: Ergo intelligere divinum,  
sub conceptu & formalitate operationis, divi-  
nam naturam non constituit.

<sup>21</sup> Dico ultimò: intelligere divinum sub con-  
ceptu formaliter ultime actualitatis completae, &  
per se subsistens in genere intellectuali, esse  
constitutivum formaliter essentia, vel naturæ divinæ

Probatur primo ex D. Thoma infra quest.  
18. art. 2. ad 1. ubi ait: *Sentire & intelligere*  
*& hujusmodi, quandoque accipiuntur pro quibusdam*  
*operationibus, quandoque autem pro ipso esse sic o-*  
*perantur*: Ergo ex D. Thoma intelligere in  
Deo, non solum habet rationem operationis,  
sed etiam est ipsum esse, seu essentia Dei ope-  
rantis.

<sup>22</sup> Probatur secundum: constitutivum naturæ di-  
Tom. I.

Avinæ (ut supra ostendimus) debet pertinere  
ad gradum intelligendi, cum ille sit perfectissi-  
mus ex tribus qui admittuntur naturarum con-  
stitutivi: Sed nihil aliud ex his quæ pertinent ad  
talem gradum, potest formaliter constituere na-  
turam divinam, præter ipsum intelligere purissi-  
mum, & actualissimum, & per se subsistens: Ergo  
in eo formaliter consistit divina natura. Minor  
probatur: ad gradum intellectivum in Deo, per-  
tinet primò ratio substantiae immaterialis per  
essentialiam, & radicaliter intellectivæ; secundò  
vis proxima intelligendi, seu intellectus proxi-  
mè intellectivus: tertio species; quartò ipsum  
intelligere ut habet rationem operationis, &  
prout concipiatur ut quædam emanatio à princi-  
pio intelligenti; & denique idem intelligere,  
ut est actus purissimus & per se subsistens in or-  
dine intellectuali: Sed nullum ex his, præter ul-  
timum, potest habere formaliter rationem es-  
sentiæ seu naturæ in Deo: Ergo &c. Minor pro-  
batur: ut enim supra ostendimus, ratio substan-  
tiæ immaterialis, & radicaliter intellectivæ, sic  
ut & vis proxima intelligendi, non exprimit  
summam actualitatem in Deo, nec ab eo exclu-  
dunt omnem umbram, & vestigium potentialitatis,  
sed concipiuntur per modum actus primi  
proximi vel radicalis. Similiter species intelligi-  
bilibus concipiatur per modum principii complen-  
tis, & secundantis in actu primo potentiam ad  
intelligendum. Item intelligere si conceptu &  
formalitate operationis, supponit aliquid prius  
in Deo, secundum nostrum modum concipiendi,  
ut jam exposuimus: Ergo cum natura divina  
debeat constitui per modum actus purissimi, &  
esse id quod primo concipiatur in Deo, haec om-  
nia non constituant formaliter naturam divinam,  
sed ipsum, & intelligere purissimum, actualissi-  
mum, & per se subsistens, quod exprimit sum-  
mam illius ordinis perfectionem & actualitatē,  
& est id quod primo in Deo concipiatur: nomi-  
ne enim Dei, concipiimus intelligentiam purissi-  
mam & actualissimam, que semper sit in actu  
secundo intelligendi, & à qua excludatur omnis  
umbra, omneque vestigium potentialitatis, &  
defectus: unde sicut interroganti quid sit Hu-  
manitas recte respondetur, natura rationalis;  
ita quærenti quid sit Deitas recte respondebitur,  
natura summè, perfectissimè, & actualissimè intelligens.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio: <sup>23</sup>  
cum natura divina sit perfectissima, & actus  
purissimus debet constitui per gradum omnium  
perfectissimum, & per id quod in illo majorem  
exprimit actualitatem: Sed gradus intellectivus  
est omnium perfectissimus, & intelligere est  
id quod majorem intra illum exprimit actuali-  
tatem; inquit est ultima ejus actualitas, & se ha-  
bet in ordine intelligibili, sicut existentia in or-  
dine entitativo, ut docet D. Thomas i. contra  
Gentes cap. 45. ratio 2. ubi ait quod intel-  
ligere comparatur ad intellectum, sicut esse ad es-  
sentiæ: Ergo natura divina per ipsum intelligere  
constituitur.

Probatur tertio ratione desumpta ex D. Tho-  
ma infra quest. 27. art. 6. Per illud constituitur  
formaliter natura divina, quod Verbum Divi-  
num recipit ex vi sua processionis: Atqui recipit  
ipsum intelligere purissimum & actualissimum:  
Ergo illud est natura divina constitutivum.  
Major patet, quia Verbum Divinum per id quod  
formaliter recipit à Patre ex vi sua processionis,

constituitur Filius; ut docent Theologi in materia de Trinitate: non potest autem constitui Filius, nisi per communicationem naturae: Ergo &c. Minor autem probatur: secunda persona Trinitatis, procedit per modum Verbi: Sed esse Verbi, cum sit terminus intellectonis, nihil aliud est quam intelligi, sive existere per ipsum intelligere: Ergo Verbum Divinum recipit ipsum intelligere, ex vi sua processionis.

25 Confirmatur: D. Thomas loco citato probat processionem Verbi Divini esse generationem, quia in Deo idem est esse & intelligere; unde cum per processionem Verbi communicetur formaliter intelligere, communicatur etiam formaliter & esse, seu natura divina; & cum communicatio formalis naturae sit generatio, processio Verbi erit generatio. Sed haec ratio D. Thomas, nisi supponeret quod intelligere sit formaliter esse, seu natura Dei, non magis probaret processionem Verbi esse generationem, quam processionem Spiritus Sancti cum velle Dei, ex quo procedit Spiritus Sanctus, sit identice ipsa natura divina, & ab ea virtualiter tantum distinguatur, sicut alia attributa: siue si sola identitas realis divini intelligere cum esse, seu natura Dei, sufficeret ad rationem generationis, non minus processio Spiritus Sancti esset generatio, quam processio Verbi: Ergo D. Thomas supponit ipsum intelligere esse Dei essentiam seu naturam.

## §. VI.

## Solvuntur objectiones.

26 Objicies primò contra primam conclusionem: D. Thomas i. p. quæst 39, art. 2. ad 3, sic agit: Quia natura designat principium actus, essentia vero ab effendo dicitur, possunt dici aliqua unius naturae, que convenienter in aliquo actu, sicut omnia calefactionis, sed unius essentia dicuntur non possunt, nisi quorum est unum esse. Et ratiō magis exprimit unitas divina, per hoc quod dicitur quod tres personæ sunt unius essentie, quam si diceretur, quod sunt unius naturae. Quibus verbis S. Doctor videtur ponere distinctionem virtualem inter essentiam & naturam divinam, & docere quod unitas in essentia dicitur divinis majorē identitatem, quam unitas in natura.

Respondeo D. Thomam ibi usurpare naturam improprie, & in ampla quadam significazione, in qua solum illa dicuntur esse ejusdem naturæ, quibus correspondent actiones ejusdem rationis: sive illarum principia distinguuntur essentialiter, ut in sole & igne respectu calefactionis, sive non, ut in duobus ignibus calecentibus. Quia ergo unitas in natura, potest in hac ampla acceptione sumi, unitas vero in essentia, solum dicitur respectu eorum quæ habent idem esse, propterea D. Thomas dicit, quod magis exprimitur unitas divina, per hoc quod dicitur, quod tres personæ sunt unius essentie, quam si dicatur, quod sunt unius naturæ.

Secundò responderi potest, D. Thomam ibi solum statuere distinctionem virtualem in rebus creatis inter essentiam & naturam: in divinis vero solum distinctionem rationis, quæ petitur ex parte conceptus formalis, & ex modo nostro concipiendi res divinas per analogiam ad res creatas, in quibus natura & essentia virtualiter distinguuntur.

A Objicies secundò contra eandem conclusionem: illa distinguuntur virtualiter in Deo, quæ æquivalent pluribus realiter, aut virtualiter distinctis in rebus creatis: Sed in creaturis natura & essentia virtualiter saltem distinguuntur, ut docent Philosophi in libris de Anima: Ergo & in Deo.

Respondeo distinguendo Majorē: quæ æquivalent pluribus distinctis in rebus creatis, si illa distinguuntur ex genere suo, vel ex propria ratione formalis, concedo: si distinguuntur solum ex limitatione & potentialitate creature, nego.

Explicatur: ex dupli capite possunt aliquæ perfectiones in rebus creatis realiter aut virtualiter distinguiri, scilicet ex propria ratione formalis, sicut relationes mutuae, propter oppositionem quam habent, realiter inter se distinguuntur. Et ex limitatione & potentialitate creature, quo pacto intellectus & intellectio, essentia & existentia, singularitas & ratio specifica, realiter aut virtualiter in creaturis distinguuntur. Sic ergo constat in his exemplis, quod talis distinctio realis aut virtualis, non habet locū in Deo, eò quod illa non oriatur ex propria ratione formalium rerum, sed ex eorum limitatione & potentialitate. Ita similiter, cum distinctio virtualis quæ est in rebus creatis inter essentiam & naturam, fundatur in sola limitatione & potentialitate creature (ut sura ostendimus) illa non reperitur in Deo, sed hæduæ rationes in eo distinguuntur solum per analogiam ad creaturas, & ex modo nostro concipiendi res divinas, per similitudinem & habitudinem ad res creatas.

C Objicies tertio contra secundam conclusionē. Illa est formalis ratio quidditatis & essentia divine, quæ est incommunicabilis creaturis: At sola infinitas in Deo est incommunicabilis rebus creatis: Ergo illa sola est formalis ratio quidditatis & essentiae Dei. Major videtur manifesta: illud enim debet esse constitutivum essentiale rei, quod est ejus distinctivum, & quod nullatenus ceteris competit. Minor etiam non est minus certa: nam esse, vivere, intelligere, & aliæ perfectiones simpliciter simplices, communicantur creaturis: sola autem infinitas non communicantur, nec incommunicabilis est: Ergo &c.

Confirmatur: si essentia & quidditas divina, non consisteret in infinitate, Deus non esset per se primus & essentialiter infinitus: sicut quia essentia hominis non consistit in risibilitate, homo non potest dici per se primus & essentialiter risibilis: Sed hoc videretur absurdum, ac delegantissima Dei perfectioni: Ergo &c.

E Ad objectionem respondeo negando Majorē: ratio enim in qua consistit essentialiter natura divina, debet esse participabilis à creatura, diminuit saltem & inadæquatè: nam ens per essentiam ex sua ratione habet, posse se communicare entibus per participationem; & ipsa gratia sanctificans, est diminuta quædam & inadæquata participatio divinae naturæ: quare ex eo quod infinitas sit incommunicabilis creaturis, non sequitur eam esse Dei naturam & quidditatem; sed potius modum quendam naturæ divinae, ei proprium, & aliis naturis incommunicabilem. Unde illud quod dicitur in contrarium, distinguo Majorē: illud est constitutivum rei, quod est ejus distinctivum ab aliis, tanquam ratio specifica, & differentialis, concedo: tanquam modus illi proprius & aliis incommunicabilis, nego.

Ad